

ELOGIA PRO ANASTASIO.

Guilielmus S. R. E. bibliothecarius in Vita Adria- A
ni II (a).

Legati S. R. E. textum synodi (*nempe octavae generalis Constantinopoli celebratae*), verentes ne quid falsum Græca levitas in eam congesserit, Anastasio sanctæ sedis apostolicæ bibliothecario (qui tunc temporis pro causa Ludovici serenissimi nostri Augusti cum Suppone archiminoistro post eos Constantinopolim, divina, ut creditur, dispensatione advenierat) subtiliter inquirendum, antequam subscribant, committunt. A quo quia in utrisque linguis eloquentissimus existebat, studiosissime perscrutatus, omne quod ad laudem serenissimi nostri Casaris, sanctissimus dominus Adrianus pontifex in epistola sui decessoris Arsenio episcopo imminentे adjecerat, reseratum inveniunt.

Joannes Trithemius, de Scriptoribus ecclesiasticis.

Anastasius apostolicae bibliothecæ custos et instaurator sagacissimus, in divinis Scripturis eruditus, et in sacerdotalibus litteris nobiliter doctus, Græco et Latino multum peritus eloquio, fertur nonnulla composuisse opuscula, sed ad manus nostras nihil corum pervenit. Transtulit autem multa Græcorum volumina in Latinum, nam jubente Nicolao papa I transtulit Vitam Joannis Eleemosynarii : lib. 1. Unam S. Dionysii Hierarchiam : lib. 1. Synodus vii universalem : lib. 1. Vitas multorum SS. Patrum : lib. 1, et alia plura. Scripsit et Historiam Ecclesiasticam usque ad sua tempora, rogante Carolo II, cui imprimis charus erat. Claruit sub Ludovico imperatore secundo, anno Domini 860.

(a) Exstat in hoc opere.

B. *Platina de Vitis Pontificum, in JOANNE IX.*

Carolus imperator Normannorum regem in gratiam recipiens, e baptismatis fonte levavit, ut scribit Anastasius, qui tum in pretio erat Romanæ Ecclesiae bibliothecarius, vir sane utraque lingua doctus, ut e Græco in Latinum et septimam universalem syndodem, et Hierarchiam Dionysii Areopagitæ, et Vitas multorum Caroli gratia in Latinum eleganter et docte transtulerit.

Onuphrius Panvinius in Platinam, annotat in Nicolaum I

Anastasius monachus, et S. R. E. bibliothecarius usque ad Nicolaum I Romanorum pontificum Vitas, quæ adhuc apud me sunt, scripsit, sub quo et ejus successoribus Adriano II et Joanne VIII in Urbe floruit. Quæ sequuntur concinnavit Guilielmus quidam, alter bibliothecarius, quæ in libro sub Dainasi nomine circumfertur, extant.

Sigebertus Gemblacensis, de illustribus Ecclesiæ Scriptoribus, cap. 104.

Anastasius, jubente Nicolao papa, transtulit in Latinum Vitam Joannis Eleemosynarii, scriptam Græca a Leontio episcopo.

Cæsar Baronius Annalium Ecclesiasticorum tomo IX.

Anastasius bibliothecarius, etsi rudi stylo, fidelissime tamen rerum gestarum historiam enarravit, imo in rerum sui temporis narratione nullum fideliorum et meliorem scriptorem habemus, apud quem magis cum simplicitate veritas quam cum suco mendacia valuerunt.